

M V T I N A & R H E G I V M.

data. Anno denique **cic 1000**, quum in Hadriani mole Clemens ab Cæsarianis obserderetur, Atestinorum armis est recepta, à quibus aucta ædificiis, mœnibusque & fossis munita, ad splendorem, qui jam-nunc, sensim excrevit. Mira agri est fertilitas ab frugibus, tritico, faba, & aliis, vinoque optimo, quod *Tribianum* dicitur.

Regium.

Regium Lepidi, ripæ Crustuli lœvæ adpositum, hodie Reggio vocatur. Forum Lepidi eo loco fuisse quondam notat Festus. Incolæ Regienses, ab Lepido, apud Plinium; quemadmodum Regini, ab Regio Iulio. Vrbs est lata, nobilis, frequens; solo sita valde fertili; loco pulcro, amœno, planeque regio; unde illi, quorundam judicio, nomen. Condidisse ferruntur Tusci; quibus ejectis occuparunt Galli; hisque, Romani; quorum auspiciis coloniam eoduxerunt Trium-viri M. Æmilius Lepidus, à quo cognomen accepit, T. Ebutius Carus, & L. Quintius Crispinus. Ab Langbardis Gothisque vastatum, iis Italia profligatis, restauratum est circa annum 800, liberum suique juris usque ad annum 1286, inde Comitum & Principum haberi cœpit imperio, primo Canossarum, hinc Atestinorum, Cæsarum, Regum Galliarum; mox Pontificum Romanorum: inde Folianos, Scaligeros, Gonzagas, Galeatios, & Othobonos habuit Dominos; à quibus ad Atestinos rediit, ab his ad Pontifices; Adriano VI mortuo, rursum ad Atestinos. Episcopatus floret dignitate. Nobilitarunt hanc urbem D. Maximus, Episcopus: Guido Sagranus, Philippus Casolus, Iacobus Columbus, Karolus Ruinus, Franciscus Belius, Iulius Scar-

latinus, Iurisconsulti; Sebastianus Corradus, Latinæ Græcæque litteraturæ doctissimus; Bartholomæus Crottus, poëta. Celebris est calcaribus, quæ hic fabricantur venustissime; ut etiam aliis rebus, quæ ex ossibus confiunt supra modum polite. Ager perquam uber; tritico, faba, hordeo, cæterisque frugibus; vino item abundans.

Carpis
Carporum Principatum diu tenuit nobilissima Piorum familia: Gilbertus autem bonam illius partem Herculi primo Ferrarensi Duci cessit: reliqua pars, quæ Alberto secundo remanserat, à Carolo Quinto Ferrarensi Duci fuit donata.

Grafianiana vallis ultra citraque Sercium amnen jacet; (qui ex Apennino oritur supra Sylanum, & per medianam Caferonianam & propter Lucam tandem mari illabitur;) quæ vicis castellisque haud infrequentibus nitet: altiusque in amnis dextra castellum novum, cognomine Grafianum, pernabile ac opulentum, & negotiatoribus frequens; olim cum aliis plurimis hujus tractus in ditione Bononiensem, nunc in Ferrarensium.

*Principum
familia.*
Nobilissima autem hæc familia Atestina non modo in Italia illustris fuit à multis sæculis, sed & nobiles familias in Germania propagavit, Brunsvicensem & Luneburgensem, Badensem, alias; connubiisque vineta fuit cum summis Principibus; ut plenius videre est in Historia Ioannis Baptista Pignæ, qui elegantissime res gestas principum Atestinorum libro 8 descripsit.

